



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput I. De interna conversatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)



DE  
**IMITATIONI**  
**CHRISTI.**



**LIBER SECUNDUS.**

*Admonitiones ad interna trahentes.*

**CAPUT I.**

*De interna conversatione.*

**R**egnum Dei intra vos est, dicit Do-  
 minus. Convertite te ex toto ad  
 Dominum; & relinque hunc  
 miserum mundum, & inveniet ani-  
 ma tua requiem.

Disce exteriora contemnere, &  
 ad interiora te dare, & videbis reg-  
 num Dei in te venire.

Est enim *Regnum Dei, pax, &*  
 gau-

gaudium in Spiritu Sancto, quod non datur impiis.

Veniet ad te Christus, ostendens tibi consolationem suam: si dignam illi ab intus paraveris mansionem.

Omnia gloria ejus, & decor ab intra est, & ibi complacet sibi.

Frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis.

2. Eja, anima fidelis, præpara huic sponso cor tuum: quatenus ad te venire, & in te habitare dignetur.

Sic enim dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Da ergo Christo locum, & cæteris omnibus nega introitum.

Cum Christum habueris, dives es, & sufficit tibi. Ipse erit provisor tuus, & fidelis procurator in omnibus, ut non sit opus in hominibus sperare.

Homines enim cito mutantur, & deficiunt velociter: Christus autem manet in æternum, & astat usque in finem firmiter.

3. Non est magna fiducia ponenda in homine fragili, & mortali etiam si utilis sit, & dilectus: neque tristitia multa ex hoc capienda, interdum adversetur, & contradicatur.

Qui hodie tecum sunt, cras contrariari possunt, & e converso, sæpe ut aura vertuntur.

Pone totam fiduciam tuam in Deo, & sit ipse timor tuus, & amor tuus. Ipse pro te respondebit, & faciet bene, sicut melius fuerit.

Non habes hic manentem civitatem, & ubicunque fueris, extraneus es, & peregrinus: nec requiem aliquando habebis, nisi Christo intime fueris unitus.

4. Quid hic circumspicis, cum iste non sit locus tuæ requietionis?

In cœlestibus debet esse habitatio tua, & sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda.

Transeunt omnia, & tu pariter cum eis.

Vide, ut non inhæreas, ne capiaris, & pereas.

Apud Altissimum fit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.

Si nescis speculari alta, & cœlestia, requiesce in passione Christi, & in sacris ejus vulneribus libenter habita.

Si enim ad Vulnera, & pretiosa Stigmata Jesu devote confugis, magnam in tribulatione confortationem senties: nec multum curabis hominum despectiones: faciliterque verba detrahentia perferes.

5. Christus fuit etiam in mundo ab hominibus despectus, & in maxima necessitate a notis & amicis inter opprobria derelictus.

Chri-

Christus pati voluit, & despici  
& tu audes de aliquo conqueri?

Christus habuit adversarios, &  
oblocutores, & tu vis omnes habe  
re amicos, & benefactores?

Unde coronabitur patientia tua  
si nihil adversitatis occurrerit?

Si nihil contrarium vis pati, quo  
modo eris amicus Christi?

Sustine te cum Christo, & pro  
Christo, si vis regnare cum Christo.

6. Si semel perfecte introisses in  
interiora Jesu, & modicum de ar  
denti ejus amore sapuisses: tunc de  
proprio commodo, vel incommodo  
nihil curares, sed magis de oppro  
brio illato gauderes: quia amor Je  
su facit hominem seipsum contem  
nere.

Amator Jesu, & veritatis, & ve  
rus internus, & liber ab affectioni  
bus inordinatis, potest se ad Deum  
libere convertere, & elevare supra  
seipsum in spiritu, ac fruitive quie  
scere.

7. Cui sapiunt omnia, prout sunt, non ut dicuntur, aut æstimantur: hic vere sapiens est, & doctus magis a Deo, quam ab hominibus.

Qui ab intra scit ambulare, & modicum ab extra res ponderare, non requirit loca, nec expectat tempora ad habenda devota exercitia.

Homo internus cito se recolligit: quia nunquam se totum ad exteriora effundit.

Non illi obest labor exterior, aut occupatio ad tempus necessaria: sed sicut res eveniunt, sic se illis accommodat.

Qui intus bene dispositus est, & ordinatus, non curat mirabiles & perversos hominum gestus.

Tantum homo impeditur, & distrahitur, quantum sibi res attrahit.

8. Si recte tibi esset, & bene purgatus esses, omnia tibi in bonum cederent, & profectum.

Ideo multa tibi displicent, & sæpe conturbant, quia adhuc non es per-

perfecte tibiipſi mortuus; nec ſegregatus ab omnibus terrenis.

Nil ſic maculat, & implicat cor hominis, ſicut impurus amor in creaturis.

Si renuis conſolari exterius, poteris ſpeculari cœleſtia, & frequenter jubilarre interius.

## CAPUT II.

### *De humili ſubmiſſione.*

I. **N**on magni pendas, quis pro te, vel contra te fit, ſed hoc age, & cura ut Deus tecum ſit in omni re, quam facis.

Habeas conſcientiam bonam, & Deus bene te deſenſabit.

Quem enim Deus adjuvare voluerit, nullius perverſitas nocere poterit.

Si tu ſcis tacere, & pati, videbis procul dubio auxilium Domini.

Ipſe novit tempus, & modum liberandi te, & ideo te debes illi reſignare.

Dei